



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

Articvlvs VI. Contra II. Decalogi Praeceptum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

ARTICVLVS VI.

Continens Propositiones probabiles, contra secundum Decalogi Præceptum à Neotericis Probabilistis adinventas.

I. Sicuti primum Decalogi præceptum quo DEI unius cultus & agnitio præcipiebatur, & Idololatria, superstitio, hæresis similiaq; vitia vetabantur, suis novis probabilitatibus Neoterici quodammodo evellere, sic quoque secundum, quo divini nominis reverentia in juramentis & votis dicitur mandatur, laxare conati sunt: dum juramentis, uti pueri thalis, ludere docent, & ex tribus illis iudicio, veritate & justitia ad omnia juramentum necessario requisitis, secundum, scilicet veritatem, tollunt, æquivocationem in juramentis, ut licitam admitterent adeoque finem juramenti destruentes: *Finis juramenti, ait D. Thomas. 2. 2. q. 89. a. 3. corp. est confirmatio dicti humani, cui quidem confirmationi falsitas opponitur, per hoc*

confirmatur aliquod dictum, quo ostenditur firmiter esse verum, quod quidem non potest contingere de eo, quod falsum est; unde falsitas directe evacuat finem juramenti, & propter hoc à falsitate præcipue specificatur falsitas juramenti, quæ perjurium dicitur. Quidquid proinde juramento defuerit, sive veritas, sive justitia, sive judicium, cujuslibet ex illis carentia directe vel indirecte perjurium constituet. Nam is, cujus juramento deest justitia, manet obligatus ad falsificandum suum juramentum, positione oppositi ejus, quod juraverat: & is, cujus juramento deest judicium, sive discretio ac circumspectio, temerè se exponit, periculo falsitatis, adeoq; censetur interpretative velle ipsam falsitatem, juxta illud, qui amat periculum, in illo peribit.

Indirecte quidem perjurium constituent, defectus judicij & justitiæ; directe defectus veritatis, quem habere illa juramenta censenda sunt, quæ cum æquivocatione & mentali restrictione proferuntur. Ratione cujus sit.

O 2

Propo-

PROPOSITIO I.

Licitum est, tam in iudicio quam extra iudicium, jurare cum restrictione mentali, non habito respectu ad intentionem juramentum petentis.

2. **Q**uem articulum, ad requisitionem Archiepiscopi Mechliniensis, reprobavit Facultas Theologica Lovanienfis. Anno 1653. à qua etiam, ad instantiam Episcopi Gandavensis reprobatus est, qui sequitur.

PROPOSITIO II.

Qui mediante commendatione vel munere, ad officium publicum promotus est; poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis.

Cujus assertionis ratio mox subditur. Quia non tenetur fateri crimen occultum.

tum: His duobus succedit tertius, quem in sua Synodo Diocesana interdixit Episcopus Namurcensis Anno 1659. tanquam novum, periculosum & salutis animarum destructivum: & est qui sequitur.

PROPOSITIO III.

Siquis solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis gratiâ, sive quocunq; alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud addititium verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

Verba Episcopi censurantis hæc sunt: *Quia experientia comperimus varias variorum opiniones valde periculosas prodire in lucem, non sine magno animarum detrimento: Ideo mandavimus hic inseri instructionem nostram, cui, quisque confessarius Diocesis nostre, se conformare promittet, sub pœna reje-*

tionis; & in casu non servati post admissionem promissi, sub pœna suspensionis, donec illa paruerit; Imprimis monetur serio omnis confessarius, ut in consulendo, judicando, absolvendo absteineat ab opinionibus novis, periculosis, & salutis animarum destructivis: quam censuram, tanquam à particulari Episcopo profectâ parvi scio, facient ij, contra quos agitur: nihilominus justè censuratas omnes tres jam allegatas propositiones, omnemque restrictionem mentalem juramento firmatam, ipsa ratio suadet.

3. Primo, quia primo principio legis naturalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; diametraliter opposita: quoniam enim ex inventoribus talium sententiarum æquo animo ferret, si per artificium restrictionum mentalium sibi ab aliis illudetur? usque adeò inquit August lib. 1. de doctrina Christi: cap 36. *rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem ut falli nolint etiam quicumque amant fallere*: Cur ergo tales; quod sibi fieri nolunt, alios verbo & exemplo facere docent & faciunt? cur non formidant, ne discipuli usum

ment-

mentalium restrictionum ab ipsis edocti, eundem in magistros aliquando retorqueant. Novi ego superiorem, qui dum cuidam è subditis, vice quadam per mentalem restrictionem illufisset afferēs, cujus contrarium is certo sciebat, hoc premij reportasse, ut subditi verbo & exemplo illius edocti continuis restrictionibus mentalibus, ejusdem interrogationes, justè & ex officio factas illuderent, sicque, quia alteri fecit, quod pati noluit, & ipse, quod noluit, pati debuit: *si, quod quis fecit, patitur, justissima lex est*, inquit *Philosophus 5. Ethic. cap. 5.* Certum est enormius delinquere tales pravitatis doctores, quam executores, & iniquos legislatores, quam iniquitatis perpetratores.

4. Secundo, quod ipsismet restrictionum mentalium doctoribus, etiam, dum docent earum usum, fides adhibenda non sit, forte enim eo ipso quo eas docent, mentaliter restringunt, & quod verbis pronunciant, licitum, aliter sentiendo in corde credunt illicitum. Quod si etiam jurato id afferunt, quod sic in corde sentiant, ut ore proferunt, neque se uti restitutione mentali, quis

eis fidem habebit, cum nesciat quis, an utendo juramento, non utatur restrictione mentali: *quomodo credendum est ei*, ait S. Augustinus libro de mendacio cap. 8. *qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte & tunc mentiatur, cum precipit ut ei credamus.*

5. Tertio posito licito usu mentalium restrictionum etiam in juramentis, nulla in mundo lis finiri poterit: *homines* ait Apostolus ad Hebr. 6. *per majorem sui jurant, & omnis controversia eorum finis ad confirmationem est juramentum.*

6. Quarto adversatur instituta vocum significationi, ad hoc enim voces instituta sunt, ut per eas alter alteri mentem suam aperiat: hinc S. Augustinus Enchir. cap. 22. *utique ait, verba propterea sunt instituta, non per quae homines se invicem fallant, sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferrat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.*

7. Quinto usus mentalium restrictionum est everfivus omnis societatis & confidentie inter homines: *quia homo*, inquit Doctor Angelicus cap. 2. q. 109. a. 3. ad. 1. *est animal sociale: naturaliter unus homo debet alteri id,*

sine quo societas humana servari non potest. Non autem possunt homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus: quanam enim societas coalescere inter eos poterit, quorum alter alteri pro affirmatione negationem, aut vice versa obtulerit? Omnis certe confidentia perit, si quis ab altero, quem sincerum putabat, circumventum se videat, & pro veris sibi falsa, & pro falsis vera, præter opinionem divendita.

8. Sextum est, quod ex proposito & scienter proferens enunciationem falsam, sola mentali restrictione verificabilem, mentiatur, certum est autem mendacium utpote intrinsece & ex natura sua malum, semper esse illicitum, nec ulla circumstantia posse justificari & licitum reddi: Authores porro veteres loco mendacij, intellexisse restrictiones mentales, testis est quidam Neotericus, excusans *Originem, Abbatem, Joseph, Cassianum* & quosdam alios, mendacio in speciem saltem patrocinantes, quod nomine mendaciorum intellexerint mentales restrictiones; Adeoque cum juxta illum Sancti Patres

Patres per mēdacia tales restrictiones intellexerint, utique talia erunt, alias hoc asserendo, mendacium commisissent: Et esse reverentia mendacia sentit *D. Thom.* 22. q. 111. ar. 1. in corp. ubi veritati inquit opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: consentit *S. August.* q. 68. in Leviticum, cum falsum, ait: à sciente dicitur, procul dubio mendacium est, si vè illo quisquam, si vè nemo ledatur: & lib. de mendacio cap. 3. ille mentitur ait: qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat.

9. Sed usum restrictionum mentalium etiam in juramētis adhiberi solitarum, acerrimè censuravit facultas Theologica & Juridica Lovaniensis: Cum enim sibi duæ quæstiones fuissent propositæ: quarum prima erat.

I. *An liceat ambire magistratum aut officium, sollicitando suffragia Collatorum, promissis symposiis, pecuniis, muneribus, per se, vel suos; & nihilominus consue-*

consuetum iuramentū cum restrictio-
ne mentali facere, quod nihil dederit.

II. An liceat in hunc finem pecunias, mu-
nera &c. accipere, per se, vel suos, &
tamen jurare, se nihil accepisse.

AD utramque, sicut & supra allatas pro-
positiones, restrictionibus mentalibus
patrocinantes, ut sequitur, respondit.

10. Respondetur, non licere. Et quisquis eo-
rum aliquid, quæ in istis formulis tanguntur,
iuxta quod planissime verba sonant, fecerit; &
tamen iuraverit se non fecisse: est indubitati
perjurij reus. Non est ista in puteum Demo-
criti abstrusa veritas, ut nonnulli putant, sed
ita perspicue oculis humani generis exposita: ut
non minus dolendum sit, imperitorum animos
propriis cupiditatibus ita obscurari, ut eam,
jam olim inter ethnicos indubitatam, à periti-
oribus veluti dubiam discutiendam censeant;
quàm ipsos peritos cupiditatibus alienis usque
adeo lenocinari, ut rem lucidissimam tortuosis
ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de

conscientiâ hominum delere velle videantur. Quid enim? an fortè non est jusjurandum, quo se dicunt sanctè promittere, tactisque Evangeliiis jurare? An non disertis verbis omnia & singula se fecisse vel facturos esse negant, per se, per alios, directè vel indirectè, quocunque modo, qua secundùm apertissimum verborum, quem ex Principis, Republ. mente habent, & omnium hominum sano iudicio præ se ferunt, eos fecisse vel facere se sciunt, & in ipso casu supponuntur? Falsum ergo esse sciunt, quod jurant, & proinde perjurium est. Quid enim perjurium, nisi jurare quod falsum quis arbitretur: videlicet non se fecisse vel facturum esse, quod se fecisse aut facere norit? Vnde August. Serm. 28. de verbis Apost. c. 2. totius humani generis sensum de illa veritate promens, Da, inquit, alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videntis, quam ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? omnes homines talia detestantur. In quo genere jurantium viderint illi num ab Augustino comprehensi sint, qui sciunt se per-

satio-

sationibus, promissis vini, cerevisia, pecuniarum
 effusionibus, undinatos esse Magistratus, Le-
 ctiones aut officia: & scientes videntesque, coram
 scientibus, Deo ipso, quem testem invocant, in-
 spectante, nihilominus jurant non fecisse: vide-
 ant, inquam, etiam atque etiam, utrum ipsi non
 sint, qui jurant tanquam verum sit, quod sci-
 unt falsum esse; & simul videbunt, quam de-
 testandæ belluz, & de rebus humanis exter-
 minandæ, veritate per os Augustini loquente,
 decernantur. Cujus quidem rei ratio ut enu-
 cleatius intelligatur, & occurratur frivolis
 quorundam cavillationibus, quibus tanquam
 ficulneæ foliis turpitudinem tegunt: sciendum
 est, certam, receptissimamque esse veritatem, et-
 iam apud illos, qui quam maxime habenas a-
 dulterandæ veritati laxaverunt, fallacis que
 verborum perturbantur humani generis com-
 mercium, Eum, qui sponte suâ, nemine, nisi
 propriâ ambitione assequendi honoris, impel-
 lente, juramento sese ingerit, & ejus necessita-
 ti se exponit; atque interim Princeps vel per se,
 vel per statutum justissimis de causis latum,
 precipit, ut juret veritatem, non posse aliter ju-
 rare, quam secundum mentem Principis ac
 statuti.

statuti. Tunc enim, quidquid aliàs licere vel non licere quispiam dixerit, cessat omnis casus vel in speciem legitima fucanda veritatis. Nam & Princeps, ut supponimus, legitime jubet, & Principi legitime jubenti obediendum esse legis humanae & divinae, & naturalis, & aeternae constitatur; nec Principi obediri potest, nisi eo sensu jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa verba planissime profitentur. Nam in illis circumstantiis, nescio quo privato sensu à sensu Principis, & statuti & Reipubl. & omnium hominum alieno jurare, non est obedire Principi, sed illudere: neque calliditas ista perjurum jurantem liberat, sed eum reddit Principis indignatione, & humani generis detestatione digniorem. Omnem enim fidem ex ejus commercio funditus tollit, qui in tam rationabilibus circumstantiis adhuc à verborum strophis, & occulti sensus versutis praesidium petendum putat. Atque haec omnia in presenti casu concurrunt liquidissime. Nam & Princeps legitime jurari veritatem jubet, & legitime jubet, & tota respublica id, quod jubet, probat, & quo sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissime notum est: & res gravissima est, & Reipubl.

omnino

omnino necessaria, & neminem ad jurandi necessitatem adigit, nisi propria ambitionis estus, qui ad honores per ambitus corruptelas anhelat & properat. Quis igitur dubitet, hic fidem atque sinceritatem jussui statutoque Principis, & expectationi Reipublica deberi, nisi qui dolose jurando fallere, & omnem loquendi sinceritatem, omnem jurisjurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quisquam injurato credat, si neque juratis hic tuto credi potest? Si, inquam, liceat hic commentitio verborum fucos Principis & Reipublice. & omnium hominum expectationem fallere; & de cæpis interrogatum, de aliis jurare? hoc enim non jurare, sed pejorare est. Nam, ut optime verissimeq; Sanctus Augustin. Epist. 224. Expectationem eorum quibus juratur, quisquis deceperit, periurus est: quod cum prædictis saltem circumstantiis, si unquam, absolutissime verum esse, nullum dubium esse debet. Quam perver sitatem nimis Reipubl. etiam in loquendo, nedum in jurando, pernitiosam graviter prestrinxit Tertull. lib. 4. cont. Marc. 38. Justa & digna præscriptio est, in omni quæstione ad propofitum

tum

tum interrogationis pertinere debere let-
 lum responsionis. Cæterum aliud consulenti
 aliud respondere, dementis est. *Et Augusti-
 Epist. 224. fallaciis pejerantium terminos col-
 locans, fidentissime dicit: Illud sanè rectissime
 dici non ambigo, secundum expectationem
 illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat,
 fidem jurationis impleri: nam verba difficil-
 limè comprehendunt maximè breviter sen-
 tentiam, cujus à jurante fides exigitur. Unde
 perjuri sunt, qui servatis verbis: expectatio-
 nem eorum, quibus juratum est, deceperunt.
 Propter quam, credo, absolutissimam Augu-
 stini resolutionem Veritas illa in suis Canonibus
 cum, sancto Isidoro Hispalensi Episcopo cap.
 Quæcunq; arte. 22. q. 5. verba præformantur
 translata est. Quæcunque arte verborum
 quisque jurat, Deus tamen, qui conscientie
 testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur,
 intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui
 Dei nomen in vanum assumit, & proximum
 dolo capit. Unde perjurium simul ac dolum
 hujusmodi jurejurando, quod ad privatas in-
 tentiones relicto legitimo verborum sensu de-
 torquetur, non minùs Isidorus atque Augusti-*

*ius detestantur ; dum non minùs ita jurando
 quàm proximum dolo capiendò, jurantes re-
 os fieri volunt. Nempe inter q̄ regulam à Spi-
 ritu Sancto fixam intuebatur : qui cùm roga-
 retur à Propheta suo, Domine quis habitabit
 in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in
 monte sancto tuo ? planissimum responsum
 dedit, non solum dicendo, Qui loquitur veri-
 tatem in corde suo, quod omnes isti Principum
 & Reipubl. Ludificatores pro se jactitant ; sed
 etiam addendo, Qui non egit dolum in lin-
 gua sua : qui jurat proximo suo & non deci-
 pit. Quanto justius addas, qui jurat Regi suo &
 Reipubl. & non decipit ? Nam hujusmodi de-
 ceptio, si suspicam, certè in istis nostri casus cir-
 cumstantiis, tam æquis ex parte Regis & Rei-
 publ. tam iniquis ex parte ambientium, qui
 ultrò precipites in istas mentiendi & pejerandi
 angustias ruunt, maximè detestabilis est : ut sa-
 nè adversus tales potissimum sententias suas
 Scriptura & veteres isti pronuntia verint, qui-
 bus & Zacharias exitium comminatur : Hæc
 est maledictio, quæ egreditur super faciem
 omnisterræ : & veniet ad domum jurantis in
 nomine meo mendaciter, & consumet eam,
 & ligna ejus, & lapides ejus.*

11. Deinde ex alio capite, doctrina istius
 veritas perspicuò constare potest: quando enim
 à Principe, vel Collegiis popularibus aliqui ad
 Magistratum vel professiones Academicas ad-
 seiscuntur, inter Eligentes Electosq³, expressum
 hoc intercedit pactum, ut non aliâ lege ad Ma-
 gistratum aut Professionem admoti censentur,
 quàm si solemnijurejurando hi se de am-
 bitu purgaverint; illi verò præterea se viros
 idoneos, Officiis atque Lectionibus, citra per-
 sonarum acceptionem, ac munerum sordes, se
 admoturos receperint, juxta formulas fure-
 menti supra descriptas. Jam verò certum est,
 & omnium Doctorum sententiâ indubitatum,
 à conventionibus pactisq³, mutuis, sive tacitis
 sive expressis, omnem abesse debere fraudem,
 dolumq³, malum; multoq³, magis à Sacramen-
 tis, quibus conditionem appositam se servaturo
 alter alteri spondet ac jurat. Est autem
 fraus, dolusq³, malus, Tract. 7. in Joan. & in
 Ps. 5. & 14. sicut scit omnis, qui verba Latina
 intelligit, cum aliud agitur & aliud fingitur,
 inquit Augustinus; vel, ut alibi post Philoso-
 phos Tull. l. 3. offic. dicit: Cum aliud agitur, ali-
 ud simulatur: cum aliud ore profertur, aliud
 pector

pectore tegitur. Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit, perfidi, improbi, mali-
tiosi sunt: qui autem Dei testimonio fidem si-
mulationis istius supplere volunt, perfidia ad-
dunt perjurium. Alterutrum autem quis-
quis tanquam licitum in conventiones huma-
nae societatis admittit, omnia profectò vincula
mutui commercij disrumpit, omnem fidem a-
dimit dicentibus, promittentibus, jurantibus;
pontemq; sternit, per quem omnes fraudes, men-
dacia per jura tuto transeant. Hoc certè scio,
quisquis hujusmodi restrictionum, vel potius
fraudum aut mendaciorum, strophas in mutu-
is conventionibus permissas putat, nemini suc-
censere debet, qui sibi juranti, caelumq; & ter-
ram in fidei subsidium invocanti, non credide-
rit. Quà poenâ talibus nulla forsàn justior, &
ad perverstatem illam corrigendam opportu-
nior infligi posset: nimirum, ut suam omnibus
hominibus fidem in loquendo suspectam esse
sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustu-
lerunt. Fixum ergò ratumq; maneat, à pactis
mutuis omnem abesse debere fraudulentiam:
omnem ergò occultam restrictionem, quæ ver-
bis ex mente paciscentium non comprehendi-
tur.

tur.

tur. Tanto enim perniciosior ille dolus est, quanto latentius laedit; tanto detestabilior, quanto majori hypocrisi sub integritatis pallio latet. Ex quo nascitur, ut omnium gentium iudicio, quisquis in paciscendo, pactiq³ conditionibus iurejurando sancendis, etiam hostem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis praeseferens, sacrilegus & perjurus sit. Talis iudicatus est olim Cydias, qui cum aurum ex deposito reddendum suscepisset, baculum, cui illud incluserat, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manu tenendum tradidit, interea à testem invocans Deum, cum veritate mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse. Sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effusum, dolus detectus fuit; Cydias cum detestatione humani generis malà morte periit. Tales & illi multò potiori iure sunt, qui cum Professionem, vel magistratum, sub lege praestite vel praestanda integritatis, à mundanationum sordibus, acceperint, eamq³ pecuniarum & munerum acceptione apertissime violaverint; audacter jurant, eam se praestitisse, videlicet (sicut mentis restrictione Principem suum lu-

um ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, publicè: ut alij, non ab indignis: ut alij, non ultra solitum. Quasi verò acceptio clancularia, aut ab eis quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnata imposità lege corruptela. Sic enim, his authoribus, etiam Romanus populus dejerare potuisset, se nihil omninò accepisse, quando usq; adeò consuetudine quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur, ut opificio consueto: palamq; in foro, mense pecuniis plena ponerentur, quibus suffragia populi redirent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnūquam palam, nihil sæpius ab indignis accipiebant. Nam Caesar inter cœteros industriâ, fortitudine domi belliq; clarus, & per quàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam tenebat plebem. Sed quemadmodum nemo dubitat, intolerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutre restrictionum beneficio interjurandum interposito, à manifesti perjurij labe excusari possunt. Fraus enim astringit, non dissolvit periurium. Nec verò veritas ista tam
obscura

obscura est, ut vel in solis Doctoribus Ecclesiasticis, vel in Sacris Litteris quaerenda sit. Vnde eam, scripsit, opereq; expressit impietas Paganorum, ut pietas Christianorum nostrorum erubesceret. Marcus enim Atilius Regulus cum à Carthaginensibus captus, eis non per Sacramenta Dei veri, sed per daemonum iniqua namenta jurare cogeretur, ut nisi captivorum commutationem impetrasset, rediret ad carcerem; non putavit in istis angustiis aliquam irrandi dexteritate sibi posse subveniri, sed horrendos corporis cruciatus sibi revertendo subeundos potius arbitratus est, quam fallaciam suam de re ditu jusjurandum intelligendo, non redeundo, pejerare. Perjurum enim se omnino fore judicavit, si aliud juraret, quam quod legitimus verborum sensus praese tulisset, quodq; ab illo non Rex, non Respublica sua, sed hostis firmandum sacramenti sanctitate pulsabat. Nam hinc est etiam illud praeclarum, quod ab Augustino celebratum, quod Romana Caesura post acceptam Cannensem cladem non retinere in numero Senatorum, non solum qui metu mortis crudeliumq; poenarum apertissime pejerare, quam ad castra Poenorum

dire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu per-
jurij se putaverant absolutos, quia post præsti-
tum jusiurandum quasi aliquid obliti, fictâ
nescio quâ necessitate, reversi fuerant, quam
quodam jurandi artificio præter mentem eo-
rum, quibus juraverant, excepisse videban-
tur. Omnibus enim notis ignominisq; confe-
ctos esse tradunt, ut quidam eorum mortem si-
bi extemplo consciverint: ceteri non foro solum
omni deinde vitâ sed propè luce, ac publico ca-
ruerint. Ita non attenderunt, inquit Augu-
stinus Epist. 224. qui cum Senatu pepulerunt,
quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab il-
loji, quibus juraverat, expectarent. Hac le-
gimus. hac miramur, hac infidelium sensa &
facta laudibus in calum tollimus; & nos Chri-
stiani disputandum putamus, utrum perjuri
sint, qui non hostibus, sed Reipubl. & Regi suo,
nullo mortis justæ vel iniustæ, nullo carceris ar-
cendi metu, sed solo ambitionis astu stimulan-
te, ulro sese ad Magistratum & Officia, & in-
de ad jusiurandum subeundum offerunt, sci-
entiâq; facti sui, & conscientia reclamante
dejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse,
quæ jurisjurandi formula exprimentur? Et
quod

quod magis intolerabile est, ad hoc nefas, quod
 licitum, viri boni, nescio quâ Theologia quâ
 limatioris fiducia, annuendum esse decernunt.
 Quid enim est hoc aliud, quam artem fallendi
 Principem & Rempubl. adeoq; peierandi
 tradere, si verum est, quod verissimum esse in
 casu longè mitiori docuit Augustin. Epist. 22.
 Perjuros esse, qui servatis verbis, expectati-
 onem eorum, quibus juratum est, decepe-
 runt? *Quæ si temporibus Augustini monstra-
 sententiarum prodiissent, quantâ vocis conspe-
 ctione & animi gemitu iterum juxta doctrinam
 sua jam tradita regulam exclamasset: Lab. con-
 tra mendac. c. 18. Et sunt in eis docti, qui et-
 iam regulas figunt, finesque constituunt,
 quando debeat, quando non debeat pejerari.
 O ubi estis fontes lachrymarum! & quid
 faciemus, quo ibimus, ubi nos occultabimus
 ab irâ Veritatis, si non solum negligimus
 cavere mendacia, sed audemus in lupis
 docere perjuriam?*

12. *Ab huius labe criminis aliqui se im-
 munes putant, quod non aliter censeant, nisi
 gendum hoc fusiurandum, vel aliter à Prin-
 cipe intelligi, quam ne corrumpantur, dum
 pro*

promissive Collatores, ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quod Princeps sciat istam donandi potandiq; consuetudinem, nec in statuti (ut sonat) transgressores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accersitur: sed toto caelo falluntur; primo, quia ex conniventia Principum, scelerum licentiam colligere fallacissimum est argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quae non expediunt; multa expediunt, quae non possunt; multa possunt & expediunt, sed opportunius differuntur; multa, quia publica probationis luce destituta, quamvis severissime punienda, relinquunt Deo, qui solus occultorum restis, & Iudex est. Deinde, quod putant Principem & Rempubl. intelligere cum ista restrictione iuramentum, sine dubio falsum est. Primo, quia non potest cadere in priorum iuramenti partem, quâ quisque jurat, se non ambivisse muneribus Magistratum. Illius enim sensus absolutus est, quod munera nulla dederit, quibus suffragia compararet, se positâ omni dignitatis indignitatq; consideratione. Quid enim magis fingi posset fatuum, quam

P

quam

quàm jusjurandum ab aliquo de sua dignitate
 seu capacitate postulare, ut videlicet juret, mu-
 nis muneribus, quibus eligentes corruperit, si
 ambivisse, ut se indignum eligerent? Igitur ne-
 que restrictio illa in posteriorem partem cade-
 re potest, quâ idem jurant, se munera non
 accepturos. Disertè enim additur, quòd simi-
 liter, sive eodem sensu, quo jurant se non dedis-
 se, jurent se non accepturos esse munera. Deinde,
 quemadmodum officia conferre indignis
 propter munera, gravis noxa Reipubl. est, ita
 & muneribus corrumpi, ad officia minus di-
 gnis conferenda, præteritis dignioribus, Reip.
 vehementer noxium est. Virumque ergo in-
 commodum amoliri voluerunt, qui in bonum
 Reipubl. istas jurisiurandi formulas præscrip-
 serunt. Denique, quia fûramenti objectum
 sensus, & veritas ex verborum, quibus expressum
 est, significatione pendet, non ex conceptibus,
 quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Ex
 mentali autem restrictione verborum signifi-
 cationem suspendere, est omnem istorum voca-
 lium signorum vim ac certitudinem, a deo quæ
 in humana societatis fidem, quæ citra
 lã subsistere nequit, uno lathali ictu interire.

re. C
 mulis
 vel u
 non es
 terati
 runt.
 ture l
 illigat
 parati
 ri poss
 cretio
 quia n
 excaca
 re solet
 possunt
 fuit, ut
 num
 nuper p
 ni 162
 rum C
 bis decl
 officio
 tent, ne
 quàm
 quisqu
 re

re. Cum ergo in præscriptis jurisjurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel indignitatis significationem præ se ferat, non est illa Juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergo eorum, qui concurrunt. Astimatio, conscientia cuiusq; juxta naturam legem relicta fuit, non autem juramento illigata, propterea quod plerumque illius comparatio incertior sit, quam ut Juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quam ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio Collatorum Judicia excocare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illeg; sinceritatis pestes facile notari possunt, in eas cautio Juramenti palam directæ fuit, ut universim excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum talium nuper perspicue exposuit. Nam in Edicto anni 1626, quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur: disertissimis verbis declarat, se non permittere, ut Collatores officiorum ex eis emolumentum suum captent, non magis venditione, aut elocatione, quam aliâ quacumque ratione: neque ut quisquam accipiat aut largiatur quicquam

respectivè in recognitionem aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocumque modo. *An dignis vendere & elocare, à digno pretium emungere, caveas cerevisarias exungere, non est suum captare emolumentum?* Hinc ulterius in eodem Edicto cuncta officia, quæ tali modo extorta & foedataq; fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur. *An dignorum officia, non sunt officia?* Hinc quotquot præterea pretij alicujus accepti, aut elati culpâ detinentur, ab officijs deiciendos, & ad hoc ipsum vel aliud administrandum vitam inhabiles esse sancitur. *Quæ profectò manifestissimè clamant, omnes omnino quorumlibet corruptelas sive digni, sive indigni videntur Candidati, Regis Sanctione esse suppressas.* Et sanè remedium, quod sordibus coercendis jam olim publicâ auctoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit esseve poterit utilitatis: Juramento enim factum fecerit, fidemq; purgaverit suam, quisquis dixerit se dignum putavisse, qui reverâ indignus fuerit, adeoq; jurisiurandi violati non nisi à ipso damnari poterit. Neque minùs contra spiritum hujusce Regie Sanctionis tendit, quod

dignis, quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud inprimis spectat Princeps, quemadmodum latè in ipsa Praefatione alijsq; locis declaratur, ne populus exactiõibus, alijsque illicitis emungende pecunie modis, à Magistratibus Praefectisque suis opprimatur, dum pretium, quod in venandos honores & officia, plenâ manu fusum fuit, paulatim iterum cum faenore colligitur. Quod profecto malum Reipubl. ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. Nec verò unquam hujusmodi leges & Framenta sic intellecta fuerunt in Rebuspubl. quae sordes ambientium severe coercendo, oppressiones justitiae & populi, aliâque mala, à cervicibus suis arcere voluerunt. Testis est Romana, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, si vè do cetero digni, si vè indigni haberentur. Quae de causa crimen istud etiam in maximis illius Reipubl. viris tum accusatum, tum magnâ severitate vindicatum est. Nam ut Salust. in Conjur. Catil. vir bonus ad honores & imperium verâ viâ, hoc est, ut eum exponit Augustin.

gustin. lib. 5. de Civit. cap. 12. virtute, nititur,
 malis dolis atque fallaciis contendit: Inter
 quas profecto munerum corruptela non infre-
 mum locum tenent. Itaque postquam suffragi-
 orum invaluisse corruptela per adulteros
 populi mores, & Cato legem à Senatu feren-
 dam curasset, quò Magistratus designati, se no-
 minem accusatorem haberent, Jurato iudicio
 se offerre cogerentur, atque ibi rationem
 parati Magistratus reddere; etiam per juri
 habiti sunt, non solum suffragatores, qui pretium
 in Candidatos traducti probarentur, sed etiam
 Candidati, si cuius facta sacramento ejus dissi-
 na probata fuissent. Quam propterea legem
 ita timuere Candidati, ut periculosissimum
 multus adversus Catonem concitatus fuerit.
 Nimirum, quia nondum didicerant à Christi-
 anis Ethnici dexteritatem deponendi istius mo-
 tus: subtilem, inquam, illam Theologiam, quæ
 legitimam Reipubl. Sanctionem de non com-
 parandis aut vendendis pretio suffragiis, quæ
 juxta Reipubl. mentem violassent, sine per juri
 se non violasse jurarent. Per juri igitur sub-
 runt Ethnicorum iudicio, qui Magistratus
 aut officia pretio ambientes, se pretium non de-

disse
 pera
 qui
 gelt
 fort
 datu
 se, si
 legis
 Jura
 adv
 min
 quis
 gere
 etiam
 tanq
 culta
 ribus
 man
 impe
 noru
 quæ
 runt
 ni ju
 nunc
 mitte

disse dejerassent. Perjuri fuerunt, etiam Imperatorum iudicio, Theodosij & Valentiniani, qui cum iussissent Magistratus Juratos inter gesta depromere, se pro administrationibus fortiendis, neque dedisse quidpiam, neque duros unquam postmodum fore, sive per se, sive interpositam personam, in fraudem legis Sacramenti que; qua formula hodierno Juramento, de quo tractamus, est simillima: adversus transgressores, tanquam publico crimine neglecti Sacramenti per juro, addunt, Si quis ausus fuerit præbita Sacramenta negligere, non modò adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem. Quod si quis à Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus, & priscis Romana Curia Censoribus tanquam Theologiae imperitis, ad subsellia Theologorum Christianorum provocandum putet, profecto causa, de qua satagimus, finita est. Perjuri enim fuerunt, etiam Principis Theologorum Augustini iudicio: qui de tali suffragiorum suorum nundinatore populo, quia juratus in suffragia mittebatur, sine fluctuatione decernit August.

lib. 3. de Civit. cap. 2. Quid aliud toties Sen-
tores corrupti in Judiciis, toties populus in
suffragiis, vel in quibusque causis, quæ apud
eum concionibus agebantur, nisi etiam pe-
jerando peccabant? Nam corruptissimis
moribus ad hoc mos jurandi servabatur an-
tiquus, non ut à sceleribus metu religionis
prohiberentur, sed ut perjuriam quoque sce-
leribus cæteris adderentur.

Cui Censuræ subscribit quoque *Car. anti-*
el Doctor itidem Lovaniensis Theol. fundam.
n. 1282. Est mihi inquit innata aversio con-
trarestrictiones mentales: Si enim continentur
intra terminos pietatis, & sinceritatis, necessa-
ria non sunt, nam omnia quæ ipsa præstare pos-
sunt præstabunt consignificantes circumstan-
tia. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admi-
tenda sint, ubi desunt circumstantia signifi-
cantes: ignoscant mihi earundem authores, & præ-
pugnatores, tollunt humanam societatem, &
tanquam pestifera damnanda sunt: quoniam
semel admisse aperiunt omni mendacio, omni
perjurio viam & tota differentia in eo erit; ut
quod heri vocabatur mendacium, naturam
malitiam non mutet sed nomen; ita ut hodie
jubeatur

jubeatur restrictio mentalis nominari. Quod est virus condire sacharo, & scelus specie virtutis colorare. Hæc ille longe salutaris quam qui docuit: Posse absque mendacio verba usurpari etiam si ex sua significatione non sint ambigua nec eum sensum verum admittant ex se nec ex circumstantiis occurrentibus: sed tantum verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento quod cumque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis gratia, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit: vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: revera non mentitur, nec est perjurus, sed tantum non diceret unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam.

P **Arti-**